

*praefatio.*

primetur, in quo viri aliquot tantis vigiliis, impensis, fortunisque sunt versati. Num vero ideo Germania sui negligentior, quod fovet medii aeui veritates, ad quas alii populi titubant exhorrentque? Nec quicquam. Principio enim habet patria nostra rem publicam eandem per annos octingentos. Alia autem regna, superius commemorata, formulae suae passa sunt metamorphosin. Quapropter historia medii aeui patriae nostrae dissidia componit ac tollit, quae potius in exteris rebus publicis illa excitat disseminatque. Deinde cum in aliis regnis studia infimae plebis summam quandoque rerum trahant, ibi exosissima periculique plenissima sunt nomina plebicularum. Contra Germaniam praepotentes dominantur ordines, qui specie inanum non aguntur, neque, instar volubilis & praecipitis plebeculae, induci possunt ad turbas & rerum confusiones. Praeterea licet Icti Germani non parua auctoritas sit, ubi causas respondet hominum priuatorum: huic tamen locus nullus est in tractatione iuris publici argumentorum. Ut adeo historici & iureconsulti opiniones testimoniaque publicae causae neque praeiudicium faciant